

principio, factæ sunt, adeòque ante principium esse nullum ha-
 buerunt, multò minùs in essentia divinâ fuere, sed ex nihilo
 productæ sint, oportet. Quod si verò creaturæ quoque, vel
 saltem earundem materia ex quâ, ab æterno existisset, non po-
 tuisset Evangelista Filii Deitatem inde probare, quod ipse in
 principio apud DEum fuit. Fuissent enim sic etiam creaturæ,
 vel saltem materia earum, apud DEum ab æterno. Inò verò,
 ipsum principii vocabulum indicat initium temporis, quo res
 finitæ, eòsque nondum existentes, existentiam adeptæ sunt, seu
 existere cœperunt. Sic *Rom. IV. v. 17* DEus dicitur *vocans ea, quæ
 non sunt, sicut ea, quæ sunt.* Sunt equidem diversæ de Dicti hu-
 jus vero sensu Interpretum sententiæ, videndæ apud *SEB. SCHMI-
 DIUM Comment. in Ep. ad Rom. h. l.* præsertim autem scopo no-
 stro, in quem illud allegamus, directè contradicit *LIMBOR-
 CHIUS Comment. in Ep. ad Rom.* qui cum *Ejusd. Comm. in Act. A-
 post. & Ep. ad Hebr.* conjunctim prodiit, ad *h. l.* commentatus:
*Id est, quod possit ea, quæ non sunt, & quorum causa naturales non ex-
 stant, ita certò exhibere, perinde ac si jam exstarent. Non respicitur
 hic propriè ad omnium rerum creationem: multò minùs (uti quidam vo-
 lunt) docet eam ex nihilo esse factam: quia solummodo ait, DEum ea,
 quæ nec ipsa, nec quorum causa naturales exstant, producere; an vero
 ea ex nihilo, an ex præjacente materia producat, non definit. Quare di-
 cendum, hic propriè respici omnipotentiam & constantiam divinam in
 implendis promissis suis: quod DEus, quacunque promissit, quantumvis
 ardua, & omnes natura vires superantia, tam certò præstiturus est, non
 aliter ac si ea jam præsentia oculis cernerentur. Quod postremum,
 utut, quatenus ad accommodationem refertur, non negetur;
 non tamen ideò excluditur alter ille sensus, quem verba in na-
 tivâ suâ significatione gignunt. Respectus autem ille ad poten-
 tiam atque constantiam divinam in implendis promissis est ac-
 commodatio tantum prolatorum duorum exemplorum, nem-
 pe vivificationis mortuorum & vocationis eorum, quæ non
 sunt. Idque arguunt sequentes *versiculi 18 19. 20.* firmitudinem
 fidei Abrahamiticæ de promisso sibi semine describentes. Cre-
 didit*

didit